EXTRACTORUM CONFICIENDORUM RATIO GENERALIS.

Parari possunt Extracta ex omni ferè materiâ Medicâ, seu è quovis Medicamento (sive simplici, cujusmodi sunt Herbæ, Flores, Semina, &c. sive composito, qualia sunt, Species, Massæ Pilularum, &c.) quod Tincturam menstruo, cui infunditur, communicare solet. Itaque sumatur cujusvis materiæ Medicæ concisæ, contusæ, vel aliter, ut pro infusione res postulat, præparatæ, q.v. Affundatur Spiritus Vini vel Aquæ Stillatitiæ Medici præscribentis intentioni accommodæ, q. s. Maneant in infusione ad calorem Balnei, vel alium lentum per biduum, plus minùs, prout densitas vel tenuitas materiæ postulaverit; donec liquor Medicamenti Tincturâ impræg-netur. Tum liquor tinctus separetur per inclinationem, affuso novo menstruo, post infusionem, ut priùs separando, idque toties repetendum, quoties Medicamentum de se Tincturam liquori impertierit. Liquores tincti conjungantur, per chartam Emporeticam agantur; & tandem calore Balnei exhalet humiditas, donec materia in fundo vasis ad mellis consistentiam redigatur, quæ ad usum servanda. Cui etiam ad Medici præscriptum nonnihil Salis proprii, vel alterius idonei, (v. g. scrupuli duo, vel drachma dimidia ad singulas extracti uncias) quo diutiùs humidum maneat, adjungi potest.